

nentur, Canticum Canticorum Salomonis, nostris, itemq;
Hebreorum à nobis versorum cōmentarijs illustratum,
in tuo nomine prodire iustis de causis volui. Primum
cuīnam melius Salomon nobilissimus & sapientissi-
mus dicaretur, quām Carolo Lotharingo, id est, Salo-
monis simillimo? Deinde hoc carmen tractat de arctissi-
ma Domini cum Ecclesia & Ecclesiæ viuis membris
coniunctione, quam distrahere aut abscindere nulla ca-
lamitas, nullum infortunium, nullus euentus posſit. Eius
igitur nuncupatio tibi congruit, qui id unum moliris, id
unum sat agis, ne vlla impiorū coniuratio Ecclesiæ con-
fessionē valeat perrumpere. Postremò, ut ut distinearis
negotijs longè grauiſſimis, quæ ad totius regni pondus
pertineant, tamen quia res literaria decet principem, ac
inter medias illas occupationes non dēdignaris collegij
noſtri Regij clauem gerere, atq; is eſſe, cui uni rationem
ſtudiorum & actionum noſtrarum Reges conſtare vo-
luerint, hoc paruum opusculum tuæ celsitudini ſanè con-
ſecrandum fuit, quoè eius ominibus in hominum uſum
perueniret, cuius potētia maximè, disciplinæ bonæq; ar-
tus cōtinentur, ſeſeq; tuentur aduersus barbaros minan-
tium Martis & Bellonæ impetus. Quod ut æternū
poſſint Princeps & Cardinalis maxime, & tibi & pa-
tria chariſſimæ polliceor, me tuorum beneficiorū valde
memorem, Deum omnibus modis, locis, temporibus ob-
ſecraturum obtestaturūq;, ut te tuosq; bene fortunet, ac
diutissimè regno noſtro cōſeruet. Vale & Dominum
habeto præſentissimū. Datū Lutetiae Parisiorū octauo
Calendas Iulij. 1570.